

» ciatione grave timeatur damnum
 » in vita, fama, et rebus tempora-
 » libus, excusari posset poenitens a
 » denunciando. Ratio est quia datur
 » ius naturale ad haec damna prae-
 » cavenda, contra quod ius non
 » praevallet ius positivum Ecclesiae,
 » quae ulterius non solet obligare
 » cum gravi incommodo ad suarum
 » legum observantiam. Accedit, le-
 » ges imponentes denunciationem
 » de sua natura non obligare cum
 » gravi incommodo quia non ha-
 » bent illud de sua natura adnexum;
 » uti se habent ex. gr. praecepta
 » facta militi de non relinquenda
 » statione, vel Parocho de assistendo
 » infirmis peste laborantibus. Quan-
 » do autem lex de sua natura non
 » exposcit cum gravi incommodo
 » adimpleri, cessat obligare, si istud
 » grave incommodum superveniat,
 » ut constat de lege imponente ie-
 » iunium, auditionem sacri etc. »

Optime tamen animadvertit cum
 Salmanticensibus, etiam cum gravi
 damno adimplendam esse denun-
 ciationem, si hac omissa, oriatur
 despectus Sacramenti et animarum
 pernicies; quod eveniret, si Con-
 fessarius frequenter ad sollicitan-
 dum Sacramento abuteretur, hoc
 enim in casu adesset damnum pu-
 blicum, quod damno privato prae-
 valet.

Huic nostrae sententiae robur ad-
 dunt declarationes S. Officii. Etenim
 die 22 Ianuarii 1727 Congregatio
 S. Officii respondens dubiis propo-
 sitis a P. Carolo Iosepho Spediae

Praefecto missionum in America,
 decrevit, mulieres sollicitas non
 teneri ad denunciationem, si Mini-
 stri Inquisitionis et Vicarii Episcopi
 in longinquis regionibus degentes,
 sine gravi incommodo adiri ne-
 queant » apud *Antoine, Tract. De*
Poenit. pag. 140, Edit. 1793.

Recentiorum denique Commen-
 tatorum sententia haec est: Reatinus
pag. 104, Edit. 3. « Cessat obliga-
 » tio denunciandi si fieri nequeat
 » absque incommodo admodum gra-
 » vi. » *Del Vecchio Theol. mor.*
Tom. I, pag. 725, n. 910. « Ut
 » autem culpabilis ista omissio cen-
 » sura puniatur. . . . requiritur ut
 » denuntiatio fieri possit absque in-
 » comodo admodum grave; quod
 » si adest, potest absolvi poenitens,
 » modo paratus sit denunciare im-
 » pedimento cessante. » Demum,
 ut ceteros praetermittamus, De Var-
 ceno *Theol. mor. Tom. 2, pag. 505.*
 « Excusatur vero si denunciationem
 » commode facere nequeat. »

Ni tamen poenitentem ignoran-
 tia, aut grave damnum vel incom-
 modum excusent, denunciationem
 facere infra mensem debet. Mensis
 autem computandus est ab notitia
 habita faciendae denuntiationis; hinc
 si poenitens post viginti annos in
 notitiam devenerit eiusmodi obli-
 gationis, mensis pro eo post annos
 viginti decurrit. Attamen ad incur-
 rendam latam excommunicationem
 necessario scire debet sibi ad de-
 nunciationem faciendam mensem
 esse praefinitum; si enim putet sibi

liberum esse quodcumque denun-
 ciare Confessarium sollicitantem, ex-
 communicationem neque post men-
 sem incurrit, cum desit contu-
 macia; si vero existimet sibi onus
 incumbere illico denunciandi, ex-
 communicationem post mensem in-
 currit, non antea, quia lex spa-
 tium [mensis sollicitato poenitenti
 ad denunciandum concedit; neque
 ad dispositiones eius internas, sci-
 licet ad eius ignorantiam aut mali-
 tiam infra eiusmodi tempus aliquo
 pacto respexit.

Ut autem poenitenti denuncia-
 di onus incumbat, certus hic esse
 omnino debet de vera et reali sol-
 licitatione, ita ut de ea dubitare
 nullimode possit. Si enim dubi-
 tat, ad denunciandum non tenetur.
 Dubium vero cadere potest vel cir-
 ca personam sollicitantis, ita ut
 poenitens confessarii sollicitantis nec
 nomen, nec personam cognoscat;
 vel circa ipsum factum sollicitatio-
 nis, dubitet scilicet an verba aut
 signa a Confessario prolata et exhi-
 bita ad turpia provocationem im-
 portent. In primo casu poenitens
 ad denunciationem tenetur; con-
 stat enim de sollicitatione, et inqui-
 sitores vel Episcopus ex hausta no-
 titia loci, temporis sedis confessio-
 nis etc. facillime devenire poterint
 in cognitionem Confessarii sollicitan-

tis; (1) ex pontificiis Constitutionibus
 autem nullo modo deprehenditur
 necessarium esse Confessarii solli-
 citantis nomen cognoscere ut poe-
 nitens ad denunciationem teneatur,
 sed absolute peractae sollicitationis
 causa denuntiatio praecipitur. Quod
 etiam necessarium est; quandoqui-
 dem externi qui non semel ad
 Ecclesias et Sanctuaria celebria per-
 gunt confessionem instituturi apud
 quemlibet Confessarium quem re-
 periant, quemque fortasse numquam
 viderunt, et de quo numquam au-
 dierunt, si sollicitarentur ad de-
 nunciationem non tenerentur; at-
 que idipsum dicito de Confessariis
 ipsis, qui aliquando in magno po-
 puli concursu ad alia oppida advo-
 cantur, quique a confluentibus de-
 votionis causa nullo pacto cogno-
 scuntur; ii scilicet sine ullo denun-
 ciationis periculo possent ad tur-
 pia sollicitare: et ita lex ecclesia-
 stica inutilis in plurimis casibus
 redderetur; quod a mente Legum-
 latorum alienum certe fuit et est.

Si autem dubium versatur cir-
 ca verba, aut signa a Confessario
 prolata, an illa scilicet sollicitatio-
 nem ad turpia importent, denun-
 ciatio peragenda non est; legistato-
 res enim loquuntur de facto certo,
 quod sollicitationem ad turpia im-
 portet: *ad inhonesta et turpia sol-*

(1) Adnotare tamen non praetermittimus ea, quae in re loquitur S. Alphonsus
lib. VI, n. 702. « Hoc tamen censeo dicendum solo casu, quo facile Iudices per
 » suam diligentiam certi fieri possint de persona sollicitantis; quia alias Sacerdos
 » ille cum possit esse innocens remaneret aliquo modo diffamatus; et in dubio il-
 » laesa debet servari fama proximi, qui eam possidet. »

licitare vel provocare... tentaverint; dum autem de substantia actus dubitatur, factum certum esse nequit; ergo neque poenae subiiciendum, neque denunciationi; (1) accedit quod hallucinationibus et falsis denunciationibus per eiusmodi sententiam lata aperiretur via, ut non semel contigit cum maximo Sacerdotum dedecore, atque animi angore.

Atsi de sollicitatione constiterit, poenitens ad denunciationem tenetur, nisi gravi incommodo vel infamiae contrahendae periculo excusetur, ut supra innuimus. Hinc poenitentes sollicitati tenentur ad confessarios sollicitantes denunciandos, quamvis

a) Ipsos noverint ad sanctiorem vitam conversos; Pontifices enim nedum intendunt delinquentis Confessarii emendationem, sed delicti punitionem ad scandalum reparandum damnumque resarciendum; quae Ecclesiae mens ex eo percipitur quod denunciationem praecipiat nulla praemissa monitione. De cetero Suprema Inquisitio, ut refert Giraldi *Expositio iuris Pontificii* pag. 641. n. VI decrevit, *mulierem sollicitatam teneri ad denunciationem,*

(1) Perbelle S. Alphonsus *loc. cit.* « Si vero persona Confessarii sit certa, et » dubitatur, an eius factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, tunc cum communi » niori et veriori sententia dicendum, non esse obligationem denunciandi. Ratio, » tum quia dubia in meliorem partem accipienda sunt, et in verbis ambiguis be- » nignior interpretatio facienda est; tum quia in dubio nemo est privandus fama » quam possidet: tum quia Bulla praecipit denunciari sollicitantes; sed nequit » dici sollicitans, de quo dubitatur an vere sollicitaverit; nam crimen dubium » non est crimen. »

(2) Apud Giraldi *Expos. iuris Pontif.* pag. 641, n. VIII.

etiamsi sciret, sollicitantem sponte comparuisse. At nullum evidentius conversionis signum illo dari potest, quo sponte Confessarius peccatum suum coram legitimis superioribus defert.

b) Vel multum temporis a peracta sollicitatione effluxerit; quod et in Constitutione *Sacramentum poenitentiae* definitum fuit per illa verba: *etiamsi longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit,* et in Decreto supremae Inquisitionis diei 11 Maii 1707, (2) quo declaratum fuit, *puellam sollicitatam in simplicitate constitutam et absque notitia inhonestatis tenere denunciare Confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae sollicitationis acquisiverit.* Quod tempus etiam infra plurimos annos concludi posset.

c) Et etiamsi poenitens sollicitationi consenserit, et cum confessario peccaverit; neque enim inde vel culpa sollicitantis excusatur, vel minor Sacramento irrogatur iniuria, vel ex lege casus eiusmodi excipitur; immo includitur, cum Benedictus XIV in cit. Const. *Sacramentum poenitentiae* caverit: *etiam-*

si sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit. At tamen S. Congregatio S. Officii die 23 Iulii 1624, ut refert Giraldi *loc. cit.* pag. 641, declaravit: *mulierem, quae sollicitanti Sacerdoti consenserit, non teneri in denunciatione consensum a se praestitum manifestare; teneri tamen denunciare, etiamsi ipsa prius sollicitaverit, et ad consensum traxerit Confessarium.*

Et in decreto edito die 27 Septembris 1724 statutum fuit: *Si mulier consentit Confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum manifestare; nec potest super hoc ab Episcopo interrogari.* S. Alphons. lib. VI. n. 700.

Quare Suprema Inquisitio in Instructione, quam dedit anno 1756 quamvis decernat ad denunciandum teneri etiam mulierem quae consensum praestitit, addit tamen, eam non teneri ad consensum suum manifestandum, neque de hoc interrogandam esse ab Ordinario, seu Inquisitore: itemque Confessarium sollicitantem, si contra ipsum procedatur, non esse interrogandum

de poenitentis consensu, et si forte id dicat, non esse scribendum, neque in acta referendum. (1)

d) Neque poenitens a denunciatione dispensatur si ipsa primum Confessarium sollicitaverit, et hic sollicitationi consenserit. Etenim in Decreto S. Officii diei 11 Februarii 1661. secundo loco quaeritur: « An » confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de » illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud » tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in » poenas contentas in Bulla Gregorii et sit denunciandus? »

Cui dubio responsum fuit: *Censuerunt incidere, et Confessarium esse denunciandum, rejecta opinione contraria quam non esse probabilem censuerunt.* Apud Giraldi *loc. cit.* pag. 632.

Idipsum porro eruitur evidentissime ex quaestione IX eiusdem decreti: « An Confessarius sollicitatus, si metu inductus, sollicitanti consentiat, sit denunciandus? »

Responsum enim fuit: *Censuerunt esse denunciandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

(1) Apud Giraldi *Expos. iuris Pont. Part. I, Lib. V, Cap. XV p. 642.* « Questi » miei Signori Eminentissimi... hanno risoluto, che qualsivoglia penitente è tenuto » a denunciare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo ed atto » della confessione, ancorchè egli abbia consentito, e non è tenuto a propalare il » proprio consenso, nè sopra ciò s'interrogli dal Vescovo, o dall'Inquisitore, o dai » loro Vicarii, avanti i quali deporrà, nemmeno il Confessore denunciato, procedendosi poi contro di lui nei costituiti, che se gli faranno, s'interrogli sopra » detto consenso, ed in caso che egli volesse dirlo da se, non si scriva il suo detto, » come cosa in ordine alla persona sollecitata non spettante al S. Ufficio della Suprema Inquisizione. »

Quod ipsum dicendum est si sollicitatio mutua fuerit, ex articulo VIII eiusdem decreti: « An » quando Confessarius et poenitens » ad invicem se sollicitant, confessarius sit denunciandus? » *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

e) Neque a denunciatione dispensatur poenitens, si Confessarius excusari posse videatur propter parvitatem materiae: etenim in cit. decreto sub n. 3: ad quaestionem: An Confessarius, sollicitando propter parvitatem materiae sit denunciandus: Responderunt Eminentissimi Patres: *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non dari censuerunt, esse denunciandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

f) Neque a denunciationis onere dispensatur, si poenitens apud Confessarium sollicitantem confessionem instituat, hic autem a denunciatione dispenset; propositio enim haec damnata fuit ab Alexandro VII die 24 Septembris 1665. *Modus eva-*

(1) Cf. Commentarium nostrum Vol. 1. pag.

(2) Ex. gr. Si confessarius ad inculcandam maiorem cuidam puellae modestiam, diceret praeter alia: *Ne ad fenestram nimis accedas, ne in via oculos huc et illuc conicias, posses enim homines ad malum provocare, eo quod es pulchra: vel puellae non castae diceret: Huiusmodi peccatis abstinere, eo quod es pulchra: vel mulierem conjugatam, quae societates plerumque frequentet, iis absterreat, etiam ea de causa, quod cum pulchra sit posset homines ad seductionem impellere; vel alia huiusmodi et in eiusmodi casibus, Confessarium non esse arguendum putamus. Attamen et illud rectius et prudentius esse arbitramur, ut Confessarius semper commendationibus absteineat.*

dendi obligationem denunciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi. Patet vero, eiusmodi absolutionem nullam esse. (1)

E contra exquisita attentione utendum est, antequam onus denunciationis poenitentibus imponatur, in inquirendo an de sollicitatione Confessarius ille sit culpandus qui mulierem de pulchritudine laudavit. In eiusmodi enim quamvis pravus animus intercedere possit, tamen ea non porrigunt certa de sollicitatione indicia. Hinc in cit. S. Officii decreto, ad Q. XII « An Confessarius, si laudet poenitentem ex pulchritudine et venustate dicatur illam sollicitare, » et ideo sit denunciandus? »

Responsum fuit: *Censuerunt, si laus illa sit seria, et nihil pravae intentionis redoleat, negativam esse probabilem; si vero secus, non esse probabilem.*

Et quidem recte; si enim sine ulla prorsus rationabili causa (2), sed leviter, subridendo, insuper

non castis oculis aspiciendo, confessarius laudet mulieris pulchritudinem, praesertim si ex confessione habita, non admodum casta deprehendatur, nescimus quomodo poenitens ab eo denuntiando dispensari possit. Attamen maxima prudentia et circumspectione hac in re Confessario utendum est, et denunciationis onus non imponendum, nisi moraliter certus sit, quod ob circumstantias adnexas, eiusmodi commendationes sollicitationi ac provocationi ad turpia aequipollent.

Eiusmodi prudentia et circumspectio multo magis adhibenda est in casu, quo Confessarius, sine ulla pulchritudinis commendatione, vel alicuius verbi prolatione, quod saltem ambiguum sit, mulieri poenitenti porrigit donum aliquod non mediocris, et etiam magni valoris. Donum enim per se indifferens est et aliquando etiam ad bonum finem porrigi potest, quamvis etiam ad malum. Attamen de pravitate intentionis constare debet per aliquem actum externum, qui non sit indifferens: lex enim contra sollicitantes inducta exigit sollicitationem ad turpia; de hac ergo constare debet, ut denunciatio imponatur; cum vero donum per se non dicat sollicitationem, haec ex eo tantum arguenda non est, sed ex adiunctis quae donum comitantur, quae si porrigant moralem certitudinem quod donum datum sit ad alliciendam mulierem ad turpia,

denunciatio est imponenda; alias numquam, sed observanda S. Alphonsi sententia, qui lib. VI, n. 703 scribit prudentissime et vere: « Ceterum quando verba vel facta » sunt ambigua, Confessarius non » est denunciandus, nisi de eius pravo affectu moralis habeatur certitudo. » Eiusmodi prudentia de cetero commendatur etiam in allegata Instructione S. Officii, in qua n. XVI quaeritur: « An sit denunciandus Confessarius, qui audiens » confessionem, dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse? » Atque responsum fuit: *Idem censuerunt quoad duodecimum; quod scilicet vertebatur circa pulchritudinis commendationem.*

Pariter non est denunciatio imponenda mulieribus coniugatis aut puellis, quae longo itinere impediuntur, vel aliis gravibus circumstantiis quominus denunciationem peragant: Id constat ex Decreto S. Officii, quod refert Giraldi *loc. cit. pag. 640. 641.* « Qui in partibus schismaticorum, haereticorum, et Mahumetanorum degunt, » licet subiecti sint Constitutionibus contra sollicitantes, tamen » in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitio- » nis denunciati, atque mulieres » sine periculo et infamia denunciare nequeant, denunciatos vero » facile poenam declinare posse » credatur, recurrendo vel ad Episcopos schismaticos, vel ad laicos » cos iudices infideles, ex decreto

» S. Congregationis S. Officii die
» 21 Februarii 1630, attentis su-
» pradietis causis, absolvendi sunt
» et liberandi ab hujusmodi onere
» denunciandi: moneri tamen de-
» bent, ut *cessantibus supranarra-
» tis periculis et impedimentis, te-
» neantur denunciare.* »

Neque imponenda denunciatio est, si poenitens postulans a Confessario ut crastina die suam audiat confessionem, illam sollicitat; id enim in cit. decreto S. Officii ita definitum fuit sub. n. IV: « An
» Confessarius qui foeminae in con-
» fessionario dicenti, se velle in
» crastinum confiteri, illam sollici-
» tat et confessionem dissuadet,
» sit denunciandus? R. *Si sollici-
» tatio fiat extra locum confes-
» sionis, et absque praetextu confes-
» sionis, censuerunt negativam opi-
» nionem esse probabilem, secus in
» confessionario, seu in loco confes-
» sionis.* »

Id autem intelligendum est dummodo non adsit simulatio confessionis, ut infra patebit.

Similiter denunciandus non est Confessarius qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium, non simulando confessionem: ita enim in cit. decreto declaratum fuit: *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

Abstinendum pariter est ab imponenda denunciatione poenitenti, quae a personis fide non dignis audit, Confessarium reum esse

sollicitationis. Etenim in cit. Instr. sub n. XIV quaesitum fuit: « An
» quis teneatur denunciare con-
» fessarium sollicitantem, si hoc
» audivit non solum a fide dignis
» sed a levibus personis? Et re-
» sponsum fuit: *Censuerunt opinio-
» nem negativam non carere pro-
» babilitate.* »

Neque denunciandus est interpres qui mulierem confessionem instituentem sollicitet; etenim Eminentissimi Patres in cit. Instr. n. VI *censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

Sed neque mandans Confessario ut in confessione sollicitet; etenim mandans neque sub lege includitur, neque officium confessarii agit, et potius Confessarius mandatum executioni committens est denunciandus. Id insuper declaratum etiam fuit in cit. Instructione sub. n. VII: « An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denunciandus? » *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

At lectores plerique quaerere possent: Denunciandusne est Confessarius, qui in sacramentali confessione mulierem conquerentem de tepido sui viri amore, docet actus turpes cum eodem viro exercendos?

Et quidem Cardinalis Cozza *Dubia selecta de Confessario sollicitante* nn. 183, et 187, ad quaestionem affirmative respondit: « Ratio est, inquit, quia dum docet

» turpes et inhonestos actus quam-
» vis cum proprio exercendos viro
» negari minime potest, quin ha-
» beat illicitos et inhonestos tra-
» ctatus cum ipsa in Sacramentali
» confessione: ergo praefatus Con-
» fessarius subiicitur iudicio Inqui-
» sitorum, quemadmodum omnes
» subiiciuntur confessarii, qui cum
» poenitentibus habent in sacra-
» mentali confessione sermones et
» tractatus inhonestos, ad praescri-
» ptum Apostolicarum Constitutio-
» num, et praecipue Gregorii XV.
» Confirmatur etiam haec nostra
» opinio ex decreto Alexandri VII
» dato sub die 6 Septembris 1663,
» quo decrevit puniendum poena
» carceris per quinquennium, at-
» que inhabilitandum in perpetu-
» um ad audiendas sacramentales
» confessiones, nec non et ad con-
» fessionandi munus, quemdam con-
» fessarium, qui in Sacramentali
» confessione docuerat mulieres
» modum se habendi cum suis ma-
» ritis in coniugali copula, consi-
» stentem in turpissimis et inho-
» nestissimis actibus. Ex quo con-
» stat praxim supremi Tribunalis
» esse, ut hujusmodi confessarii
» talia edocentes puniantur in S.
» Officio. »

Atque etiam alii casum ita resolvunt, quamvis eum proponant gravioribus vel levioribus circumstantiis munitum.

Ut in re sententiam nostram exponamus; distinguendum esse dicimus inter Confessarium, qui sim-

» pliciter doceat mulierem conquere-
» rentem de tepido sui viri amore,
» ad illum ad copulam conjugalem
» excitandum, et confessarium illum
» qui sine ullo mulierum questu, sed
» qualibet arrepta circumstantia, vel
» etiam interrogationibus adhibitis, ut
» possit in hujusmodi sese ingerere,
» eas turpissimos actus docet, modos-
» que varios alliciendi maritos ad co-
» pulam, quos plerumque uxores non
» ignorant, et quia non ignorant, ne-
» que quaerunt.

In primo casu enim, quamvis de imprudentia sit confessarius arguendus, dummodo bona fide non excusetur, non est tamen de sollicitatione, vel de illicitis et inhonestis sermonibus, seu tractatibus temerario ausu habitis accusandus. Etenim 1. lex eliminare intendit periculum peccati Confessarium inter et poenitentem; 2. actus, quos suggerit in proposito casu Confessarius uxorem inter et maritum, vel liciti sunt, vel esse possunt; excludimus qua de causa ex casu proposito actus qui etiam inter conjugatos illiciti sunt; 3. Actus illos Confessarius recta intentione vel suggerit, vel suggerere potest, ad excitandum scilicet virum ad prosequendam uxorem ferventiori amore, ex quo bona certe, non mala nascuntur; constat enim ex tepido virorum erga uxores amore multas suspiciones, dissensiones, et mala oriri, non exclusa reciproca infidelitate. 4. Consequenter in ejusmodi re Confessarius argui non potest,

saltem certe, de mala sua intentione, veluti illa dicat et suggerat ad alliciendam mulierem ad sui amorem. 5. Neque mulier scandalum sumit; cum enim ipsa de tepido viri sui amore quæta fuerit, non potest mirari si Confessarius circa actus maritales aliquid dicat, ad eum finem ut ipsa ad sui ferventiorum amorem maritum excitet. Ergo hoc in casu non constat de turpibus et inhonestis sermonibus, multo minus tractatibus, neque constat de mala intentione confessarii neque de scandalo poenitentis, ita ut non verificetur in se id quo gravissime queruntur Pontifices dum poenis adeo severis pericula animarum ab Sacramento Poenitentiae quaerunt arcere. Qua ergo de causa eiusmodi Confessarius esset denunciandus? 6. Neque contra urgenda est dispositio Alexandri VII relata in testimonio Cardinalis Cozza; agitur enim ibi de Confessario qui in Sacramentali confessione docuerat *mulieres modum se habendi cum suis maritis in conjugali copula consistentem in turpissimis et inhonestissimis actibus*; quæ toto coelo distant a proposito casu de Confessario edocente mulierem conquerentem de tepido sui viri amore. Confessarius enim, de quo Eminentissimus Cozza, debacchari videbatur in huiusmodi turpissimis sermonibus, et quidem sine causa, et qualibet arrepta, nisi apte quaesita, circumstantia. Quique consequenter et turpia sua desideria

prodebat animumque libidine aestuantem, et scandalum irrogabat. Optime qua de causa eum Alexander VII gravissimis poenis affecit.

Diversus pariter est casus a cl. De Varceno propositus *Theol. mor. Tom. II, pag. 204. 205.* Quaerit enim: « Confessarius in confessione » mulierem, quæ de tepido viri » amore querebatur, docuit artificia pluresque modos inhonestos » allectivos, et remedia quaedam » applicanda vasi pariter ad alliciendum maritum; an sit reus » sollicitationis et denunciandus? »

R. Affirmative, quia docuit meretricia cum alio perpetranda, vel turpia cum seipsa exercenda. Ita Felix Potestas.

Quamvis et nos eadem sentiamus, non tamen propter eandem rationem: etenim meretricia non sunt, saltem proprio sensu, ea quæ fiunt ab uxoribus ad alliciendum proprium maritum, sed alios viros; neque confessarius reus est sollicitationis proprie dictæ, sed turpium sermonum; constat tamen hunc turpissima docuisse, noxia, nullo modo necessaria, quæque peccatum constituebant; hinc denunciandus; at casus hic, ut patet, in immensum distat a primo proposito casu.

Concludendum ergo esse putamus, dubium saltem esse, an primus confessarius habuerit cum muliere querente de tepido viri sui amore *illicitos et inhonestos sermones*, sensu ab legislatoribus intento; in dubio autem quod mini-

mum tenendum esse; ideoque Confessarium illum non esse denunciandum.

Post hæc eas omnes actiones expendamus oportet, quæ certe sub latis legibus comprehenduntur.

Et prima est ut quis Confessarius, quo nomine etiam Sacerdos intelligitur, qui quamvis facultate opportuna careat, confessiones tamen audit (1), ad turpia et inhonestæ poenitentem provocet in actu *Sacramentalis confessionis*, eo scilicet temporis spatio quo sacramentalis confessio peragitur; id autem intelligendum est nedum de aperta, explicita et perfecta provocatione, sed etiam inchoata; etenim et in hac verificatur quod Confessarius in actu *Sacramentalis Confessionis* poenitentem ad turpia provocarit. Hinc si Confessionis decursu Confessarius poenitenti dicat: *expecta me hodie domi: vel interroget ubi habitat, et domum eius postea adeat atque cum poenitente contra sextum peccet, denunciandus est; pariter est denunciandus si poenitenti chartam vel epistolam tradat postea domi legendam, in qua ad turpia sollicitet.* Hoc postremum in cit. Declaratione S. Officii diei 11 Februarii 1661 declaratum fuit, in qua n. 1. quaeritur. « An » sit denunciandus Confessarius qui

» dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, » in qua ad venerem sollicitabat? » Cui quaesito responsum fuit: *Qualificatores censuerunt esse denunciandum, et opinionem negativam non esse probabilem; contraria insuper opinio damnata fuit ab Alexandro VII die 24 Septembris 1665 his verbis: Confessarius qui in Sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non denunciandus.* Atque demum id apertis verbis continetur in Const. *Sacramentum poenitentiae* a Benedicto XIV lata, qua reos sollicitationis, et denunciandos Confessarios illos decernit, qui in Sacramentali confessione provocant poenitentem ad turpia *per scripturam, aut tunc, aut post legendam.*

Atqui sollicitatio huiusmodi est, ut ita dicamus, in Sacramento Poenitentiae initialis eo sensu, ut in eo per traditam epistolam postea legendam provocatio ad turpia initium habuerit, quamvis vere et proprie nil turpe, et neque inhonestus sermo poenitentem inter et Confessarium intercesserit. Attamen eiusmodi Confessarius denunciandus indicitur. Id ergo etiam superius expositam sententiam de inchoata

(1) Id intelligimus nedum ex cit. Constitutionibus Gregorii XV, et Benedicti XIV, in quibus sermo est de Sacerdotibus, sed explicitè ex Instruct. saepe cit. S. Officii, in qua n. V., quaeritur: An Sacerdos carens iurisdictione, si sollicitet in Confessione poenitentem, sit denunciandus? R. *Censuerunt esse denunciandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*